

Bello &c., vel casu contingente in fundo, puta, quia fundus perit, & semper videtur dicendum diminutionem contingere in præjudicium hæredis, tamquam domini, & quidem primo, quia res cum sit hæredis debet suo domino perire *l. cum dotem C. de jur. dot. l. 1.*, & *l. cum inter C. de pericul.*, & *commod. rei vend.*. Hinc inferunt D.D., quod perfecta emptione casus fortuitus pertinet ad emptorem, tamquam dominum rei, *Trentacinque var. resol. lib. 3. tit. de emptione resol. 7. art. 1.*, & *2.*, ita, & in cambiis *Scaccia de comert.*, & *camb. 5. 1. p. 1. num. 483.*, *Mantica de tacit.*, & *amb. convent. lib. 4. tit. 28. num. 8.*, *Rebell. de obligat. Jus. p. 2. lib. 9. quest. 15. num. 1.*, & *2.*

40 Ita hæres morosus tradere legatario rem legatam, quia non translatum est dominium in legatarium, si res pereat, ipsi hæredi perit, *l. mulier 5. si hæres l. postulante 5. 1. ff. ad trebell.*, *Gratian. discept. for. c. 250. num. 20.*, si verò res sit frugifera debentur, & fructus; *Barbat. de divisione fructuum p. 2. c. 2. num. 11.*

Ex quibus sequeretur, quod adhuc hæres teneatur solvere legata integra, etiam annua, etiam pia, licet diminuti sint redditus.

41 Secundò, quia diminutio superveniens in re, de qua fuit dispositum, non extinguit dispositionem, ejusque obligationem, *l. ex toto, l. si grege, cum l. sequenti, l. quod in reru ff. de leg. 2.*, *l. peculio, l. Tabernam ff. de fundo instructo.*

42 Tertio, quia, ubi redditus tantum sunt diminuti, remanente capitali, non diminuantur onera ejusdem capitali imposita, quoties non fuerit specificata fructuum taxatio, sicque Ecclesia, quæ acceptavit prædium, cum onere centum Missarum, teneatur celebrare eas centum Missas, etiam anno sterili, quia acceptavit prædium cum tanto incommodo, & sicut auctis redditibus, non auget onus, ita diminutis redditibus, non debet diminuere onera, *arg. l. cum pro pecunia C. de solut.*, ideoque *Portellus in respons. casuum p. 3. casu xi.*, resolvit, quod si Sacerdos amittat, puta ex latronum rapina, pecuniam receptam pro elemosina Missarum celebrandarum, adhuc tenetur Missas celebrare, alias non satisfaceret, quia pecunia sibi perit, & non danti

43 Quarto, quia hæres, adeundo hæreditatem, quasi contrahit cum testatore, quoad legata solvenda, *Crafs. de success. vol. 2. §. acquisitione hæreditatis q. 19. num. 2. 4.*, *Moneta de commut. ult. vol. c. 7. de forma observanda num. 413.*, cum autem acceptaverit hæreditatem, & onera absolutè, non autem sub conditione, si eadem fructuum & reddituum quantitas, semper colligatur, ideo, & absolutè semper tenetur ad onera.

44 Quintò, quia alioquin non possent testatores taxare certa legata annua implenda per suos hæredes, quia cum redditus subjaceant, annuatim incremento, & decremento, incerta esset satisfactio, & ad hoc incommodum evitandum annus sterilis cū fertili compensatur, ad effectum, ut onus legatum sustineatur, *ut de legato Missarum, post Roderic. Summa tom. 4. c. 52. de Missarum numero, & concl. x.*, *Parez. de Lara de anniversar.*, & *Capellan. l. 1. c. 15.*, *Fraxinell. de Sacerd. obligat. sec. 7. §. 5. num. 9.*

45 Sextò, quia si diceretur, quod cessantibus redditibus, tamquam causa, debeat cessare onus legati, tamquam effectus, respondet *Tiraquell. in tract. cessante causa limit. 4. num. 1.*, regulam eam non habere locum, ubi à principio fundus est consignatus, ex qua consignatione, tamquam ex perfecto contractu, ortus est effectus obligationis oneris implendi, ad quem effectum sufficit, pro aliquo tempore obligationem esse exortam, & in esse positam, licet causa non perseveret.

46 Septimò, quia mortuo testatore statim Jus est quæsitum legatariis, ita ut legatum, etiam non agnatum transmittant, *Rota decis. 40. num. 13.*, *ex impressis post Farinac. repert. de ult. vol.*, *Bonacina de contractibus disp. 3. quest. 17. §. 8. num. 3.*, *Gratian. discept. for. c. 688. num. 19.*, & *segg.*, *Peregrin. de fideicom. art. 49. num. 103.*, postquam ergo Jus est quæsitum, etiam si deficiat causa tunc legatum perseverat in suo robore ad latè tradita per *Tiraquell. tract. cessante causa limit. xi. num. 1.*, *per tex. in l. si post mortem §. 1. in l. non putavit §. sed si post mortem ff. de bon. poss. contra tab.*

Limita tamen dicta, si legatum sit factum de duabus rebus alternativè, ubi electio esset facienda per legatarium, quia legatario tunc non acquiritur Jus, nisi facta electione, *Gratian. discept. for. c. 250. num. 16.*

47 Octavo, quia factò legato pro missis celebrandis, etiam si diminuti sint redditus, tamen hæres tenetur implere, vel recurrere ad Papam pro reductione, ut declarasse sacram Congregationem, refert *Barbosa in Collectanea Apostolicarum decis. in Vers. Beneficiatus collect. 60. nu. 10.*, itaut, neque Episcopus tunc possit facere hujusmodi reductionem ex pluribus allegatis per *Barbosam ad Trid. sess. 25. c. 4. de reform. num. 7.*, & *8.* & *de potest. Episcopi alleg. 29. num. 12.*, *Garzias de Benefic. p. 7. c. 1. num. 131.*, *Nald. V. Missa num. 18.*, & potius hæres teneatur augere stipendium Missarum, si aliter nequeat satisfieri, quam legatum diminuere, dummodo tamen hæreditas capax sit, *Genuens. de Ecclesia Tricien. 6. q. 779.*, *Barbosa de potest. Episc. alleg. 29. num. 7.*, *Diana p. 1. tract. 14. resol. 17.*, & iterum *Barbosa de universo jure Ecclesiastico lib. 3. c. 27. nu. 99.*, *Lezana summa tom. 4. Vers. Missa num. 37. vers. licet in hoc.*, *Aversa de Sacrificio Missæ q. 11. sec. 18. Vers. quod si, Vivian. de Jure patron. p. 1. lib. 2. c. 5. num. 82.*

Verum non sic absolutè ad hunc articulum respondendum, sed pro solutione distinguendos esse plures casus, existimarunt tamen Jurisprudentes, quam Theologi.

48 Primus Casus est, quando fundus hæreditatis, neque perit, neque diminuitur, sed solum diminuuntur fructus, vel propter grandinem, vel siccitatem, vel alios casus fortuitos, & tunc hæres tenetur solvere integra legata, alias non solvendo sit negligens, & in hoc casu habet locum octava ratio dubitandi supra notata, & in eo loquuntur D.D. allegati, sicuti in hoc casu intrat illa regula supra allegata in quinta ratione dubitandi, quod annus sterilis, cum anno fertili compensatur, *Brun. tract. de diminut. concl. 4. num. 20.*

49 Tanto magis si fructus, & redditus essent diminuti culpa, & negligentia hæredis puta, quia non coluit terras, vel non curavit exigere nomina debitorum, vel dissipavit aliquod capitale, seu partem bonorum, tunc enim tenetur implere omnia, & singula onera imposita à testatore, cum nemo ex sua culpa, & negligentia debeat commodum reportare, *l. si servus plurium §. si quis ante, ubi glos. in vers. onus legatorum, Bald., & Paul. de Castro num. 3.*, *Fason. num. 4. ff. de leg. 1.*, *Felin.*, & *Decius in c. cum accessissent*

*de const.*, *Albert. Brun. de diminut. conf. xi. nu. 61. 68. 69.*, & *conf. 18. num. 109.*, *glos. fin. in in l. Mater C. ad Tertul. Tiraquell. ad reg. 1. cessante causa limit. 23.*, ideo non solvens legata, vel non integrè negligentia culpam incurrit: *Pasqualig. de sacrif. nove legis quest. 1074.*

Tum quia negligentia hæredis non debet nocere Testari, aut legatario, sed ipsimet hæredi, *glos. in l. qui hæredi §. si pars. in Vers. consumpta sit ff. de condit.*, & *demonst.*

50 Secundus Casus est, quando à principio redditus hæreditatis non erant sufficientes ad sustinenda onera per testatorem imposita, ideoque hæres recusavit hæreditatem, vel paratus erat repudiare, tunc consultum est per Jus Cæsareum, *toto tit. ff.*, & *C. ad legem falcidiam*, quod legata diminuuntur in quarta parte, unde non solvens hæres hanc quartam partem, non potest dici negligens, cum faciat lege permittente, & concessa tali detractione, venit per necesse concessa solutio diminuta *ad l. 2. ff. de jurisd. omnium jud.*, *l. ad rem mobilem §. Qui procuratorem ff. de procurat.*

51 Hinc fit ex quadam paritate, quod si Beneficium Ecclesiasticum sit tanto onere gravatum, ut non inveniatur, qui velit illud cum tanto onere acceptare; Episcopus potest onera diminuere, & reducere ad tantam quantitatem, ut inveniri possit, qui illud acceptet, & si Beneficium esset juris patronatus, hanc reductionem faciet cum consensu Patroni, qui si nolit consentire, faciet etiam invito, quia talis moderatio fit ex juris concessione, *ad c. Nos quidem de testam.*, & tradunt *Roche de Curte de Jur. Patr. in Vers. pro eo quod de diocessani consensu q. 15. num. 31.*, *Lambert. de jur. Patr. lib. 3. q. 6. art. 7. num. 5. 6.*, *Garzias de benef. p. 7. c. 1. num. 125.*, *Graff. decis. aur. lib. 2. p. 1. c. 53. num. 12.*, *Fraxinell. de oblig. Sacerd. sec. 4. conclu. 4. §. 11.*, *Genuens. in manual. Prælat. c. 72. num. 4.*, *Azor. instit. moral. p. 1. lib. 10. c. 24. q. 4.*, & post plures allegatos, *Barbosa in c. Nos quidem num. 5. 6. de testam.*; Notandum tamen est, quod talis doctrina non currit de onere Missarum; hujusmodi enim diminutio nequit fieri ab Episcopis post *decr. S. Congr. Concil. editum sub Urbano VIII.*, & *ab Innoc. XII. confirmatum*: In cujus confirmationem adest *decret. S. Congr. Concil. in Causa Belicastro. 13.*, & *27. Septemb. 1670.*, in qua

- resolutum fuit ab Episcop. reduci non posse Missar. onera, ne quidem in limine fundationis, sed semper recurrendum esse pro reductione ad S. Congr.
- 52 Tertius Casus, quando corpora ipsa, seu bona hæreditaria, ut terra domus, census, pecunia, quocunque modo frugifera casu fortuito, & omnino absque culpa hæredis perierunt, puta Casmate, alvione, incendio, decoctione censuaristæ, vel aliorum debitorum, vel decoctione Montis pietatis, vel alterius cujusque nominis, super quo pecunia posita erat &c., tunc diminuendo legata pro rata, habito respectu ad capitalia, quæ perierunt, nec aliter solvendo, non est negligens, neque in ullo potest culpari, quia bonis diminutis, & onera diminuuntur, l. 2. C. de alvion., l. si Merces S. Jus major. ff. locati l. Cura S. deficientium ff. de Muner. & honor., l. Forma S. Illud ff. de censibus; Roman. conf. 369. num. 25. 26.
- 53 Et bene in hoc casu intrat reg. cessante causa, cessare debet effectus, nempe onera, quæ ab hæreditate sequuntur, seu hæreditati fuerunt imposita, ita ut tamquam connexa corruant principali corruente, Bartol., & Alberic. in l. Plantius ff. de condit., & demonst., ubi notant differentiam inter onera imposita per modum conditionis, vel per modum modi, nam si imposita per modum conditionis, non diminuuntur, sed non impleta conditione non est locus dispositioni testamentarie, at si imposita per modum modi, tunc diminutis capitalibus, diminuuntur, & onera, Ciarlin. controvers. for. c. 47. n. 39. per tex. in l. & si contra S. bis consequens ff. de vulgar., & pupil. substit., Albert. Brun. de diminut. concl. 4. n. 20., Merlin. decis. 55. n. 1., Tiraquell. in tract. cessante causa limit. 35., & limit. 40., Bartol. Brixien. in suis qq. Dominicalibus q. 6. n. 6. ad finem, & ex Theologis Portell. in responsionibus moral. tom. 2. casu xi. n. 5., Nald. in V. Legatum n. 13.
- 54 Sicuti pariter diminuto legato pro capitali diminuitur, & onus legato adnexum ad ratam, Brun. dicto tract. de diminut. concl. 18. n. 108. Concl. xi. num. 57., Gratian. discept. for. c. 614. num. 11.
- 55 Et facit, quod si stent capitalia, & solum pereant fructus, tunc tenetur hæres integrum solvere legatum, quia annus sterilis compensatur cum anno pingui, at hujusmodi compensatio non potest fieri, ubi perierunt capitalia, ideo, & onera debent

- cessare ad ratam, ex adnotatis per Barbosam in c. Propter sterilitatem de locato, & conducto.
- 56 Et in onere celebrandarum Missarum, de quo strictius debemus loqui tamquam favorabilius animæ Testatoris, eod. modo esse diminuendum, respondent Traxinell. de oblig. sacerdot. concl. 4. sec. 4. §. 27. Vers. Præterea, Lezana in summa tom. 4. Vers. Missa num. 23. ad medium Vers., tertium est, Bordon. resol. moral. de celebrat. missar. resol. 25. num. 31., Barbos. in votis decisivis lib. 2. voto 64. num. 21., & tangit Moneta de commutat. ultim. volunt. c. xi. num. 186., & aliis in locis, ibi per eum allegatis, Donat. Anton. Marin. resol. quotid. lib. 1. c. 227., eaq. etiam ratione, quia si totus fundus perit etiam totum onus extinguitur, ita si pereat in parte, etiam extinguatur in parte, quia idem Juris est de toto, quoad totum, ac de parte, quoad partem, l. que de tota ff. de rei vindic., quia pars est ejusdem naturæ, & qualitatis, cujus est totum, l. si grege legato ff. de leg. 1. Decian. consil. 22. num. 10. lib. 1., Perez. de lara de annivers., & capel. lib. 1. c. 15. num. 8. 9., & seqq., sicuti pereunte parte fundi censiti perit pars census; Tum quia hæc præsumitur intentio Testatoris, qui si casum cogitasset, ita disposuisset verosimiliter, Pasqualig. de Sacrif. novæ legis q. 1064. sub nu. 6., & q. 1074., & 1075. per totum, ita ut non reducatur missæ, sed remanet extincta obligatio, ideo non est opus facultate Pontificis; Pasqualig. d. tract. quest. 1076.
- 57 Hæres pariter negligens, & morosus tradere legitimam filio, tenetur etiam restituere fructus perceptos à die mortis Patris, etiam si non fuerit à filio interpellatus, eo quia fructus legitime non debentur filio propter moram, sed quia filius est dominus legitimæ à die mortis testatoris, quia res quæ fructificat, domino suo fructificat, & ita contra Ruinum sentientem requiri interpellationem, ut fructus debeantur, latius confirmat Merlin. de legitima lib. 2. tit. 1. q. 1. num. 11., & 18., ibi pluribus allegatis, & consideratis rationibus in contrariis facientibus, quibus satisfacit, ubi nu. 30., etiam extendit ad fructus bona fide consumptos, & obiecta resolvit, ubi num. 41. saltem, & omnino verum, in quo hæres factus sit locupletior, & num. 42., quod in hac re præsumitur semper factus locupletior favore domini fundi.

- 58 Ubi num. 29. bene notat, quod etiam si legitima debeatur in pecunia, quæ non est frugifera, tamen si filius interpellaverit heredem, addens se velle pecuniam sibi pro legitima debitam impendere in emptione rei frugiferæ, quam habeat præsentem emendam, si adhuc hæres sit morosus, & negligens legitimam tradere, tenetur, & fructus, quos in posterum ex re emenda filius accepisset, quia tunc debentur ratione lucrificantis. Quod idem dicendum est, si filius habuerit animum determinatum mercaturam per se, vel per alium exercendi, quia adhuc cessat lucrum propter negligentiam hæredis non solventis pecuniam.
- 59 Hæres, vel legatarius negligens exequimentem testatoris amittit sibi relictum, si adiecta sit pœna, ut ex tali negligentia privetur, S. pœna insit. de legatis, in quo casu loquitur Odd. tract. de restit. in integrum p. 2. q. 81. art. 6. num. 62., si verò à testatore nulla sit pœna imposita, tunc ob solam negligentiam annalem in non exequenda voluntate Testatoris interdicti debet ab Episcopo hæreditas cum fructibus, ut est tex. in c. si hæredes de testament., ubi doctores disputant quid sibi importet illud verbum (interdicatur) & gloss. ibi, Butr. Zabarella, Imola, & Abbas, existimant non importare privationem, sed solum interdicere administrationem, hoc est importare sequestrationem quousque hæres impleverit, quæ tenetur; Alii verò, ut Covar. in eod. cap. num. 2., existimant importare privationem, quam sententiam veriore existimat, Barbosam d. cap. si hæredes num. 2., eo quia hæres negligens ipso jure privatur emolumento testamenti, Auth. hoc amplius C. de fideicom., Auth. de hærede, & falcidia S. si quis autem collat. 9. ubi, Baldus, scilicet, & Jason., ita ut nihil aliud desideretur, quam sententia declaratoria, qua lata auferantur bona cum fructibus, & emolumentis, juxta d. S. Si quis autem, & S. Qui hoc facere, ex quibus Juribus censetur delumptum d. c. si hæredes de testam. Joseph. Ludovic. concl. commun. 16. Illatione 74.
- Cumque hoc pariter sit jure Canonico dispositum, afficere etiam Clericos, Religiosos, & Ecclesiasticas personas, bene notat Barbosam in d. c. si hæredes de testam. num. 5.
- 60 Ad effectum autem privandi hæredem tali emolumento, requiri interpellationem,
- & ad monitionem, notavit Menoch. de arbitr. Judic. centuria 5. casu 498. num. 58., sufficit tamen unica admonitio, Spada consil. 277. num. 9. vol. 3. per Auth. hoc amplius C. de fideicommiss., gloss. in S. si quis Autb. de hæred., & falcid., late Valerius de Differentiis utriusque fori V. lex. diff. 4. num. 1., gloss. in c. Extirpanda S. qui vera in Vers. privatim. de præbend., & dignitat., quia in factis, & dispositionibus negativis semper requiritur Judicis monitio, Farinac. prax. q. 34. num. 128., Barbosam in d. c. Extirpanda num. 8. de præbend., Surd. de alim. tit. 8. privileg. 64. num. 8. tit. 9. q. 26. num. 39., & seqq.
- 61 Hic pariter intrat ea quæstio de pacto resolutivo apposito à testatore legatario, aut heredi, nisi fecerit, cadat à legato, aut hæreditate, quod, aut quæ devolvat ad aliud legatarium, aut hæredem, puta locum piæ, qualis negligentia requiratur in legatario, aut hærede, ut sit locus devolutioni, de quo Pasqualig. in tract. de Sacrificio novæ legis quæst. 1027., & quæst. 1028.
- 62 Et quidem primò requiritur scientia hujus oneris cum suis qualitatibus, & hæc debet esse expressa, & indubitata habita ex Instrumento, seu testamento authentico, & probante, ac nullam exceptionem patiente alioquin cum scientia, ad effectum evitandi negligentiam, & culpam, & pœnam, non præsumatur ex latè traditis per Farinac. in fragm. crim. Vers. Ignorantia num. 233., Spada Consil. 277. num. 5. 6. 7. lib. 3., neque præsumitur in hoc casu, & dixi latè in principio hujus tractatus, ubi ad negligentiam culpam incurrendam requiri, quod non operans sciat se teneri, possit operari, & omit-  
tat. ubi alioquin non staret ob
- 63 Idèd agens contra omittentem ad effectum, ut per sententiam condemnatur in pœnam, vel declaratur incurrisse pœnam omissionis, & factum esse locum devolutioni rei legatæ, vel hæreditatis, debet concludenter probare, quod legatarius, aut hæres habuerit scientiam talis oneris, cum suis qualitatibus, ut latè ostendit Corciok alleg. Civil. 79. num. 17. 22. 23. 24. & seqq., Spada d. consil. 277. num. 7.
- Deinde agens ad devolutionem, ob non impletum modum, seu onus, debet tale non implementum concludenter probare, quia in eo se fundat, ut in nostris terminis dixit Rota in Neapolitana hæreditatis 26. Ju-  
Mm 2 niii